

« Ex hac igitur regula sit consequens. Primum ut in rebus theologicis, ad fidei et morum dogmata spectantibus Theologos quidem etiam modernos audiamus, si tamen consonas SS. Patribus tradant sententias. Deinde si ab eisdem recedant, harum opinionum inhibeatur cursus, nedum earum aliqua habeatur aut ulla eis tribuatur auctoritas. Denique, ut nemini liceat eligere eam sententiam, quam non magis veritati consentaneam duxerit. Quod ergo in praxi eam nobis liceat sequi sententiam, quam nec ipsi ut probabilior eligendam judicemus, hoc novum inauditum, hoc certis, ac notis Auctoribus postremo demum sæculo proditum, et ab eisdem pro morum regula positum, repugnat huic essato (Vincentii Lirinensis commonit. 1, cap. 3.) celebrato (quod ubique, quod semper, quod omnibus) nec habere potest Christianæ regulæ securitatem. Hoc initium malorum esse, atque omnium antedictarum corruptelarum caput. Hoc in censuris Apologiæ Casuistarum ab Antecessoribus nostris viris fortibus, ac religiosis censorie notatum. Hoc sæpe reprehensum, hodieque reprehendi, nullo incusante, immo bonis probantibus, diffiteri nemo potest. Estote prudentes, sicut serpentes, qui protecto, quod præcipuum est, capite, sibi consulunt. Ne quisquam in dubio salutis ad actum prosiliat, nisi ipso dubio, non ad nutum voluntatis, aut ex cupiditatis instinctu, sed ex recta ratione disposito, dicente Scriptura: *Rationabile obsequium vestrum; et iterum: Sapiens timet, et declinat a malo: stultus transilit et confidit.* Postremo audiat apostolicum illud: *Omne quod non est ex fide, id est ex conscientia, peccatum est.* Denique, *Testimonium reddente conscientia ipsorum, non aliorum utique, sed ipsorum, et sua.*

« In hoc celebri Concilio laudatur auctoritas Concilii Oecumenici, Synodorum, et Episcoporum præcedentium, atque Universitatis Parisiensis. Hæc omnia Patres Concilii in epistola encyclica ad universum Galliarum Clerum significant. Quare cum ad ex-

(1) P. Thyrsus Gonzalez in Opere MSS. cui titulus: « De ortu, et origine moderni Probabilismi, ejusque progressu ex fallaciis, equivocationibus, falsisque suppositionibus, absque solido ullo principio, cui nitatur, et de ejus decremento atque imminente interitu, ex Decretis Romanorum Pontificum, et Episcoporum conspiratione, atque quamplurimum Theologorum recentium valida impugnatione Tractatus Historico Theologicus, Authore P. Thyrsus Gonzalez Præposito Gener. Societ. Jesu, olim Bibliothecæ Domus Romanæ Professæ Soc. Jes. p. 505, seq. refert. Laciniam hanc epistolæ ad se perscriptæ « a Religioso gravi suæ Societatis, qui Parisiis commorabatur, et conscius erat omnium, quæ, » in Comitibus illis an. 1700 « agitabantur ad reprimentum abusum opinionum probabilium: » — « Unum est, quod angit ex nostris aliquos, nempe, quod perstricta videatur Sententia benigna de opinione minus probabilis. Verum, ut mihi videtur, optandum esset, ut ante triginta annos fuisset confixa hujusmodi sententia; ne, quam tamdiu pertulimus, laxitatis labes Societati inureretur. Quin etiam illud mihi gratum accidit, et Paternitatis vestræ perhonorificum, quod in hoc Episcoporum cœtu omne de probabilitate sectanda iudicium exactum fuit ad Regulas prudentiæ, et ratio-

trema (*inquiunt*) ventum est tempora, in quibus decor pristinus, imminuta fide, frigescente charitate, labente disciplina morum corruptelis, ac denique, ut sit, fallacium opinionum illuvie deleri videbatur; id egerunt omnes pii, atque ipsa præsertim Ecclesia Gallicana, ut moralis Theologiæ dignitatem vindicarent... et quidem doctissimæ, ac celeberrimæ Theologiæ facultates, maxime vero Parisiensis cum Lovaniensi conjuncta, etiam interrogantibus Episcopis, pro officio suo gliscientem novandi libidinem represerunt. Compresbyteri quoque nostri parochialium Ecclesiarum Rectores cæterique Doctores in amplissimis Civitatibus constituti, ad nostra usque tempora non cessarunt exaltare vocem suam in plateis Sion, atque Episcopos in altiore specula collatos assiduis efflagitationibus incitarunt... Nec tacere possumus, Religiosissimi Patres, memorabilem sententiam, qua maximus, ac doctissimus Cætus an. 1655, et sequentibus Parisiis congregatus, gravissimo suo iudicio damnavit «*perversam, ac falsi nominis scientiam, qua instructi homines non jam accommodarent mores suos ad Evangelicæ doctrinæ normam, sed et ipsam potius regulam, ac sancta mandata ad cupiditates suas inflecterent, novaque et inani Philosophia Christianam disciplinam in academicas questiones, ac dubias fluctuantesque sententias verterent: « Hæc illi: Qua sententia versatilem illam ac noxiam opinionum flexibilitatem, hoc est, ipsum mali caput conterebant... Hanc paternam velut hæreditatem, Cleri Gallicani Cætus an. 1682. Parisiis congregatus exceperat: sed Conventu interrupto, ne salutaris consilii memoria intercideret, sapientissimi Patres pravarum propositionum indiculum, antequam discederent, edi, ac per Ecclesias mitti voluerunt... Hujus ergo rei gratia nos in Spiritu Sancto, et in Christi nomine adunati, ejusque ope freti, non tam opus novum aggredimur, quam sancta decreta colligimus (1). »*

(156. Jam habes Romanorum Pontificum,

num momenta, quæ erudite adeo discutit Vestra Paternitas in suo libro *de Recto usu Opinionis Probabilis*. Etenim Illustrissimus Episcopus Meldensis (*Jac. Benignus Bossuetus*) editorum librorum fama toto Orbe notissimus, qui deputatus ad examen Moralis præerat, in eo cœtu, folia duo vel tria edidit, quæ mitto ad Vestram Paternitatem, et simul petiit, ut Illustrissimus Cætus hanc omnem Vestræ Paternitatis Sententiam in suam et Cleri Gallicani Sententiam adoptaret, quod et obtinuit. Quamquam non est ille Episcopus valde bene affectus erga Societatem, vehementer tamen gavisus sum, cum agnovi efficaciam dictarum rationum plurimum valere etiam apud viros Societatis (*sic*) minus affectos. Insuper nomine Cleri Gallicani missæ sunt litteræ ad omnes Episcopos, quibus moneatur, et rogantur, ne in posterum adhæreant Sententiæ benignæ de minori probabilitate. » Jam vero folia, quæ hujus Epistolæ Auctor a Bossueto edita commemorat, sunt *Dissertationes quatuor adversus Probabilitatem*. Bossueti Operum Posthumorum Edit. Amstelod. 1755, tom. 3, quarum prima est *de Dubio in negotio salutis*, altera *de opinione minus probabilis ac simul minus tuta*; tertia *de Conscientia*, quarta *de prudentia*. (*Edit. Barbiell.*)

ac celebriorum Episcoporum, et variorum etiam Conciliorum adversus probabilismum decreta. Itaque ii, quibus depositum divinæ revelationis conceditum est, et qui pascere Christi gregem tenentur per explicationem, ac prædicationem doctrinæ a Deo hominibus traditæ, ut recta salutis via demonstraretur, uno fatentur ore, noxiam ac periculi plenam esse probabilismi doctrinam. (157. Cum hæc expenderet Cardinalis Aguirre, qui probabilista antea fuerat, ita in præf. ad Concil. Hispan. scripsit: « Hic fuit semper spiritus Ecclesiæ, tam in Pontificibus Romanis, Cardinalibus, et Episcopis, quotquot Canones Conciliorum ediderunt, quam in his, qui pietatis et doctrinæ laude illos usque modo imitati sunt. Hæc videtur fuisse praxis assidua SS. Pontificum, ac Theologorum doctrina ac pietate insignium a tempore nascentis Ecclesiæ usque ad finem fere sæculi præcedentis, quo cœpit reputari securus usus opinionis benigne probabilis in concursu opinionis austerioris, æque probabilis, aut probabilioris per restrictiones antiquis ignotas. »

(158. Quæ cum ita sint, nemo non videt, solam hanc regulam in formandis moribus, ut optimam, atque ab omni periculo alienam tenendam esse, quam fidelibus sequendam proponunt Summi Pontifices, atque Episcopi bene multi tum in suis instructionibus ad proprias Dioceses, tum in Sanctionibus, quas in Conciliis variis ediderunt. Nam nisi ex hisce fontibus vera agendorum regula desumatur, ac vera morum doctrina, quam quisque tuto amplecti possit, undenam desumi illa possit nullus profecto intelliget. An quis ita desipere potest, ut ineptas aliquas, et millies jam attritas ratiunculas, quibus Probabilismus innititur, præferendas esse censet infallibilibus documentis virorum Ecclesiasticorum, quibus Christianæ doctrinæ depositum conceditum est? Hæc autem doctrina, sicut ex adductis supra monumentis constat, sic habet, ut minime liceat homini in concursu opinionum, quarum una probabilis, probabilior altera sit, probabilem amplecti, relicta probabiliori. Debet perinde illa opinio eligi, atque actio secundum illam eligi quæ probabilior ac tutior existimatur.

(159. Ne autem quis putet, sola nos ad id asserendum auctoritate aliorum, absque ratione ulla moveri, abs re non erit, aliquas, easque clarissimas, producere rationes, quibus ostenditur illicitus omnino usus opinionum probabilium in concursu probabiliorum. (160. Ac principio quidem nunquam potest homo opinionem sequi probabilem relicta probabiliori, quin imprudenter agat, ac sese exponat peccandi periculo, atque adeo peccet juxta illud, *Qui amat periculum, in illo peribit*. Nam ut homo in operando immunis sit a culpa, debet habere, ut fatentur omnes, certitudinem saltem moralem de honestate actionis, quam efficit; atqui si opinionem sequatur probabilem, probabiliori relicta, certitudine illa omnino caret; graviora siquidem motiva trahunt in suam partem intellectum, atque ita superant motiva minus gravia, ut in concursum cum

FERRAR. II.

gravioribus nullam efficere valeant verisimilitudinem, certitudinemque moralem. Igitur opinio probabilis in conspectu probabilioris redditur incerta, atque periculosa; (161. Ex quo etiam sequitur, contra prudentiam agere hominem, quæ secunda ratio est, quam contra probabilismum adducimus. Quis enim dicat prudentis esse certis incerta præponere in rebus ad salutem spectantibus? Quis neget hoc generale prudentiæ præceptum, ut in obscuris ac dubiis majorem verisimilitudinem, magisque a peccandi periculo remotentem sequamur? At si hoc verum sit, sicut verissimum est, contra præceptum, ac regulas prudentiæ operatur ille, qui in iudicando ducitur motivis minus gravibus, relictis gravioribus; præfert enim minorem verisimilitudinem majori, nec quantum in se est conatur a peccandi periculo recedere, ut debet, omni qua potest diligentia.

(162. Si brevitatis, quam nobis in hisce additionibus præscripsimus, pateretur fusiori nos uti calamo, alia bene multa adducere non gravaremur, quibus palam fieret quam exitialis ac pestilens sit usus opinionum simpliciter probabilium, dum præferuntur magis probabilibus; tum etiam facile esset convellere Probabilismi principia illa, quæ tantopere ab illius Defensoribus jactantur; inter quæ et illud est: *in dubiis melior est conditio possidentis*. Verum hæc omnia qui perspecta et cognita habere cupit, historiam legat Probabilismi Patris Danielis Concina, ejusque Tractationem de usu opinionum probabilium T. secundo Apparatus ad Christianam Theologiam. Patuzzi opus inscriptum *Regola prossima*, etc. Ballerini Prælectionem secundam Tom. 1. Summæ Theologiæ S. Antonini præfixam, et aliud ejusdem Opus, cui titulus: «*Moralium actionum regulæ in opinalibus, seu Quæstio de opinione probabilis ad unicum et certum inter Probabilistas, et Probabilioristas principium revocata et soluta: ubi recentiorum Probabilistarum libri ad examen vocantur, eorumque æquivocationes ac sophismata palam proferuntur. Additur duplex Appendix. I. Novum Systema probabilisticum expositum et confutatum. II. Demonstrationum Pithanophilianarum vitia detecta, et demonstrata. Venetiis 1756.* » Hæc porro, quæ præmissa a nobis sunt, falsitatis evidenter convincunt doctrinam, quam tradidit noster Auctor variis in locis, ac præsertim pag. 644, 645, et 650, 651, 652. Quæ namque ibidem docet, pura et pura esse videntur Probabilismi consecraria, ac reipsa sunt; quare, everso fundamento, illa quoque excidant et corrumpantur necesse est. (163. Juvat tamen breviter, quæ in prædictis locis habet singillatim expendere. Pagina 382, numero 32, docet, posse hominem rem possessam practice retinere, et judicare esse suam, ac proinde eam licite retinere, licet speculative dubitet, an res possessa sit sua. Falsum id est prorsus; nam principium illud, quo id est Auctor probat, nempe *in dubiis melior, etc.*, non ad quæstionem de licito et illicito pertinet, sed ad quæstiones forenses in materiam justitiæ,

ut passim traunt Theologi. Deinde superveniente dubio de re possessa etiam sub bona fide, tenetur possessor investigare legitimum possessionis titulum; quod si nullus occurrat, quo constet rem esse alienam, jure ac licite eam possidere potest, quia suffragatur possessori legitima præscriptio, quam non tollit dubium superveniens, nec possessorem cogit ad possessionem deponendam, sed obligat tamen ad investigandum justum ac legitimum possessionis titulum.

(164. At vero pariter longe distant, quæ Auctor habet de Consiliariis, pag. 631, num. 98, quos dicit posse aliquem consulere juxta opinionem aliquorum probabilem; quam tamen in praxi ipsi non sequantur, ac falsam judicent. Debent enim Consilarii non fallere, sed quæ vera sibi videntur exponere; at si persuaderent aliis opinionem sequendam minus probabilem et tutam, dum ipsi alia ducuntur probabiliori ac tutiori, profecto et contra propriæ conscientiæ dictamen consulere, et contra propriam mentem irent, ac incertam indigarent viam, dum ipsi certiore, tutioremque agnoscerent. Num id liceat, prudens judicet lector. Mirum vero non est hæc ab Auctore tradi, qui ubique fere ex semel præjacto principio, Probabilismo nimirum, suas opiniones probat et confirmat.

(165. Ad ea vero, quæ habet pagina 388, 389, non est quod modo quidquam dicamus; videantur quæ ad hanc rem pertinentia diximus in verbo *Confessarius*.

(166. Quoniam autem de Conscientia hic brevissime agere instituimus, reliquum nunc est, ut modum, illumque omni ex parte tutum præscribamus, quo possit unusquisque suam formare conscientiam, ubi præsertim dubia praxim respicientia suboriantur. Nil vero utilius ad hunc effectum censemus regulis, quas ex Leonardo Vanroy exscriptas hic subjicimus.

REGULÆ.

Prima. « Si sit dumtaxat probabile, quod actio aliqua licita sit qui eam ponit, periculo se exponit illicite agendi. »

Secunda. « Si aliquid præter probabilitatem concurrat, quo plane certus evado, quod actio hic et nunc mihi liceat, agendo non sequor sententiam practice probabilem, sed practice certam. »

CONSECRARE, CONSECRATIO.

SUMMARIUM.

1. Consecratio Episcopalis suscipienda intra trimestre. — 2. Episcopos consecrandi jus S. Pontifici devolutum. — 3. De Episcopalis consecrationis delegatione. — 4. Consecratio nequit fieri sine speciali mandato Pontificis. — 5. Consecrationis Ecclesiarum munus soli Episcopo reservatum. — 6. Episcopus consecrans Ecclesiam potest missam Sacerdoti celebrandam committere. — 7. Consecratio Ecclesiarum

(1. Consecratio Episcopalis suscipienda est intra trimestre a die confirmatæ electionis; Concil. Trid. sess. 23, cap. 2, de reform. Bened. XIV, Constit. incip. *In postremo*, § 2.

Tertia. « Certus fieri nequeo de formali actionis honestate, sive quod mihi liceat agere ex ipsa probabilitate, sive ex eo quod sit probabile actionem esse licitam, neque ejusmodi certitudinem afferre possunt hæc principia. » Quidquid est practice probabile, est practice tutum. Qui sententiam vere probabilem, vel probabiliorem sequitur, prudenter agit, etc. « Quia admodum incerta, et vix, aut ne vix quidem probabilia sunt. »

Quarta. « Quando est dumtaxat probabile, quod actio licita sit, per principium reflexum certi evadimus quod agere non liceat, nempe per regulam juris naturæ vetantem, ne quis sese periculo peccandi, et legem æternam violandi exponat. »

Quinta. « Quando actionis legi æternæ repugnantis malitia, vel per tenuissimam probabilitatem rimam considerationi adfulget, agens invincibilem malitiæ ignorantiam prætexere non potest. »

Sexta. « Quando probabile est actionem secundum se rectæ rationi et legi æternæ esse difformem, eam ponere non licet, nisi omissio istius actionis etiam verosimiliter rectæ rationi repugnet. »

Septima. « In tali angustia, nempe, quando et actio, et actionis omissio verosimiliter legi æternæ adversantur, pensandum est a qua parte plus sit periculi: omnibusque rite ponderatis illud eligendum est, quod minus malum prudenter judicatur. »

Octava. « Quantacumque probabilitas in materia juris naturæ periculum peccati absolvere nequit, quia licet maxime foret probabile v. gr. quod mentiri ad innocentem a morte liberandum, juri non repugnet, lex æterna mendacium etiam tunc vetet; regula ista legis æternæ non debetur ob nostram probabilitatem. Unde qui in tali casu mentiretur, exponeret se periculo ponendi actionem regulæ legis æternæ difformem, adeoque a peccato eximi nullo pacto posset. »

Nona. « Verum in materia legis positivæ ex magna valde probabilitate certitudinem moralem accedente, aliisque circumstantiis epikeia aliquando formari potest, sic ut prudenter judicemus, non esse mentem legislatoris in simili casu nos obligare. »

(167. Alia vide infra verb. *Opinio probabilis*.

potest vel ab uno vel a pluribus Episcopis peragi. — 8. Jure consecratio Ecclesiæ peragitur, quam merito ambigitur nunquam fuisse consecratam. — 9. Ecclesia a primo lapide reedificata, vel parietibus tantum renovata debet consecrari. — 10. An liceat officium recitare Consecrationis jam deperditæ. — 11. Ecclesia a fundamentis reedificata iterum consecranda. — 12. Consecratio Altaris a consecratione Ecclesiæ distinguitur. — 13. Alia ad rem *Remissive*.

Consecratio Episcopalis die Dominico, vel natalitio Apostolorum est sumenda, nisi Papa dispensaverit; Idem ibid., § 20.

(2. Consecratio Episcoporum juxta veta-

stiores disciplinam a Metropolitano peragebatur, eoque tantummodo injuste eam denegante, Romanus Pontifex Consecrationis munus impendebat; Idem ibid., § 15. Ad præsens jus consecrandi Episcopos per se, vel per alium, ad Romanum Pontificem est devolutum; Idem ibid., § 15, 16 et 17.

(3. Consecrationis Episcopalis delegatio nunc juxta veterem restitutam formulam, juxta mandatum *de consecrando* ad eum dirigitur Episcopus, quem sibi consecrandus elegit. Circa vero Episcoporum consecrationes, quæ in Urbe peraguntur, statutum est, Consecrandum, cui facultas sit eligendi Consecratorem, seligere debere, aut unum ex Cardinalibus Episcopali characteris insignitum, aut aliquem ex quatuor Patriarchis plerumque in Urbe residentibus, scilicet vel Constantinopolitanum, vel Alexandrinum, vel Antiochenum, aut Hierosolymitanum; eo tantum excepto casu, quo nemo ex præfatis, quod perdifficile est, oblatum sibi consecrationis peragendæ munus acceptum haberet; in hac quippe casu hypothesi, facta est Episcopo consecrando facultas adeundi alium quemcumque Archiepiscopum, Episcopumve, qui ei consecrationem impenderet; Idem ibid., § 16, ubi in fine sic subjungit: Neque in his edendis sanctionibus excidit Nobis Metropolitanorum memoria, cum constituerimus, ne, si in Urbe præsentibus sint Metropolita, ejusque Suffraganeus, consecratio Suffraganei cuiquam, præterquam suo Metropolita, delegetur.

(4. Presbyter, sive a Pontifice Maximo, sive a quocumque alio Episcopo ordinatus, consecrari nequit Episcopo sine speciali mandato Romani Pontificis; Idem ibid., § 17. Consecratio Episcoporum ex Indulto Apostolico peragi potest ab uno Episcopo, una cum duobus Abbatibus, vel aliis duobus in Ecclesiastica Dignitate constitutis, Bened. IV. Const. incip. *Ex tuis precibus* § 21.

(5. Consecrationis Ecclesiarum munus est Episcopali dignitati reservatum; Bened. XIV. cit. Const. *Ex tuis precibus*. Diocæsano Episcopo ita competit consecratio Ecclesiarum suæ Diocæsionis, ut extraneo cuiquam Episcopo absque Diocæsani delegatione licere non possit; Idem ibid., § 2. Simpliciter Presbytero nequidem ex delegatione Episcopi competere potest facultas consecrandi Ecclesias; Idem ibid., § 2. et sequent. Ex Pontificia tamen delegatione hujusmodi consecrationis munus simpliciter presbytero competere potest; Idem ibid., § 1. et 12. Vide ad id jam tradita in tom. 3. verb. *Ecclesia* art. 4.

(6. Consecrans Ecclesiam Episcopus potest ex justa causa Missam Sacerdoti celebrandam

CONSERVATORES.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — Quoad ea quæ concernunt Conservatorum qualitatem, electionem et durationem.

1. Conservatores qui sint. — 2. Conservatores sibi eligere possunt Regulares omnes, nedum qui ad hoc expressa et peculiariter privilegia a Sede Apostolica obtinuerint, sed et cæteri virtute communicationis privilegiorum. — 3. Conservatoriæ Regularibus

committere; Bened. XIV. Const. incip. *Peracto a Nobis* § 1. Consecrationem Ecclesiæ ab uno Episcopo inceptam potest alter perficere, modo nimis longum temporis spatium non intercurrat; Idem ibid., § 16. ubi solvit objectum.

(7. Consecratio Ecclesiæ, vel ab uno Episcopo, vel a pluribus simul, tanquam Ministris peragi potest; Idem ibid., § 4. et seq. ubi id comprobat Scriptorum auctoritate, et exemplis. Ipsum quoque munus benedicendi, ungentisque Cruces, Episcopi consecrantes inter se partiri possunt; idem ibid., § 10. et sequent. usque ad 16. ubi probat pluribus exemplis, et argumentis, ac solvit Rescriptum Sac. Congreg. Rit. in Causa Ulysiponensi.

(8. Consecratio jure peragitur ejus Ecclesiæ, quam merito ambigimus nunquam fuisse consecratam; Bened. XIV. Const. incip. Jam inde § 1. 4. et 5. ubi adducit perspicuam ad id definitionem Benedicti XIII. in Concilio Romano tit. 25. c. 3.

(9. Ecclesia a primo lapide reedificata, vel etiam parietibus tantum renovata, debet nova consecratione dicari; Idem ibid., § 10. Si Ecclesiæ parietes non uno tempore, sed per partes, diversisque temporibus, fuerint reedificati, vel si Ecclesia igne comburatur, vel corruat, aut destruat, an, et in quibus ex his casibus, sit reconsecranda Ecclesia? Vide ipsum ibid. a § 7. ad 14. et jam tradita, et conclusa a nobis, verb. *Ecclesia* art. 4.

(10. Consecrationis jam deperditæ Officium an adhuc liceat recitare? variant Doctores adducti; Bened. XIV. ibid., § 22 merito propendet pro affirmativa continuationis, fultus potissimum exemplo duarum Basilicarum Lateranensis et Vaticanæ, in quibus ad veterum Consecrationum recordationem diu fuit retenta Officii recitatio, etsi novis positis constructionibus, veteres amplius non superextarent Consecrationes, uti plane, ait ipse, Bononiæ hactenus factitatum.

(11. Si parietes Ecclesiæ sint destructæ, et a fundamentis iterum reedificentur, Ecclesia jam consecrata iterum consecranda est, ut ex titul. de Consecrat. Eccl. vel alt. firmant Canonistæ; d. Instit. Eccl. 67. § 2. Officium vero recitari debet de priori Consecratione, non de secunda; ibid., § 6.

(12. Consecratio Altaris plane distincta est a consecratione Ecclesiæ, ut ex Pontificali Romano adnotatur ibid., § 8.

(13. Alia ad rem, Vide verb. *Altare*, verb. *Ecclesia*, verb. *Episcopus*, et verb. *Eucharistia*.

concessæ non sunt sublata per Decr. Concil. Trident. etiam quod causæ graves sint, et plenariam cognitionem requirant. — 4. Conservatores debent eligi ad præscriptum capit. *Statutum* 21, de rescriptis, cap. *Statuimus* 1, et cap. *Hæc Constitutio* 25, de offic. *Delegati* in 6, et præcipue ad præscriptum Constit. Gregorii XV, incip. *Santissimus*. — 5. Affertur talis Constitutio Gregorii XV. — 6. Eligendi in Conservatores debent esse in dignitate Ecclesiastica consti-